


## LECTORI.



FIERI vix potest, in antiquis poetis recensendis, quorum scripta ad nostra tempora minus integra pervenerunt, quales sunt Tragici Graeci, quin, quo quis excercitator in arte critica factus sit, eo plura vel praeter spem offendat, quae vel nondum satis emendata vel minus recte explicata sive ab ipso sive ab aliis tum demum intellecturus sit, cum multa meditatione factum fuerit, ut maturiore utatur iudicio. Mihi quidem harum fabularum textum accuratissime retractanti, etiam post tantulum temporis intervallum, reperta sunt nonnulla, quae cum nunc videar mihi aliquanto rectius constituisse, in hoc libello emendatiora quam in majore altero non dubitavi exhibere. Neque id mihi opprobrio vertet lector, qui fortasse et ipse cognitum habeat, quam facile sit mutare sententiam, dum plura quotidie perlegimus, atque diu inter difficultates et angustias versati ad veritatem tandem eniti conamur. Nam errasse aliquando cum tot magnis viris qui Euripidi operam dederunt neque mirum, nec cuivis inhonestum erit.

*Helenam* fabulam, qua de omnibus quae supersunt Euripideis fabulis corruptior iudicanda est nulla, cum ante me edidisset Vir non sine laude praedicandus Carolus Badham. S.T.P., debueram certe criticam ejus recensionem inspicere et sedulo perlustrare. Verum nescio quo casu factum est, ut venalem esse nescirem illum librum, cum in eo essem ut priorem editionem conficerem. Sera etiam, quod vel maxime doleo, mihi ruri degenti in manus venit Kirchhoffii editio (Berolini, 1855,) apparatus criticum continens longe utilissimum,